



LECTORI BENEVOLO MASENIUS.

VITIORUM descriptiones magno adumbrata opere & fuse ductas in Sarcotide nostra reperies, ad hoc præcipue à nobis concinnata, ut plerarumque imaginum magis in poësi communium quidam quasi hortus esset, unde rudior etiamnum ætas ad hanc disciplinam erudienda delectationem usumque caperet. Quocirca noli in primis absolutum heroici carminis corpus in hac mea Sarcotide requirere; hoc enim ut omnino agerem, mei instituti non fuit. Deinde ne accuses descriptionum sive frequentiam sive quæsitum amplificandi studium: cum id mihi præcipue faciendum duxerim, ut congestam aliquam illarum silvam, uno

A 2